



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Utrùm posteri Adami verè & propriè peccaverint in ipso Adamo peccante contra præceptum de non comedendo fructu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

gratiam in baptismo, sed solum per condonationem extrinsecam remitti peccata actualia; quos refellit exemplo parvulorum, qui baptizantur, non ut eis remittantur peccata actualia, quibus carent, sed ut prater originalis peccati remissionem, accipiant sanctitatem, iustitiam, adoptionem, jus ad aeternam hereditatem & Christi fraternitatem: nam his omnibus privantur ante baptismum, & post baptismum habent omnia: non autem habent, nec habere possunt proprio aliquo suo merito: unde superest ut habeant vi solius baptismi suscepti.

R. ad 5. quod majorem videtur habere difficultatem, Chrysostomum nihil aliud velle, quam per unius actualis & personalem inobedientiam, non posse constitui alterum actu & personaliter inobedientem, nec negat, sed potius expressè asserit, per unius personalem inobedientiam posse alterum contrahere meritum supplicii & mortis; quod est, propter unius personalem inobedientiam perinde se habere in aestimatione morali posse alterum in ordine ad justum supplicium justamque mortem, ac si ipse personaliter inobediens fuisset, ac proinde propter unius personalem inobedientiam, ut nos loquimur, posse alterum constitui habitualiter inobedientem & peccatorem: habitualiter enim inobedientem & peccatorem dicimus eum, qui five propter propriam five propter alterius inobedientiam dignus est odio Dei & poena aeterna. Unde dicimus posteros Adami concipi & nasci habitualiter inobedientes & peccatores, quia propter personalem inobedientiam Adami concipiuntur & nascuntur digni odio Dei & poena aeterna. Quod non negat hoc loco Chrysostomus, sed solum negat, & cum eo negamus, propter personalem & actuaalem Adami inobedientiam posteros ejus concipi actualiter & personaliter inobedientes & peccatores.

Porro eodem sensu Augustinus ipse lib. 16. de Civit. c. 27. asserit peccatum originale non esse nisi improprie peccatum, *Si parvuli*, inquit, *quod vera fides habet, nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores, &c.* Nam per peccatum proprie dictum manifestè intelligit peccatum actuale & personale, & per poenitentiam retractabile, quod propria voluntate committitur, quale profecto nec habent nec habere possunt infantes. Unde peccatum originale, quocum nascuntur infantes, nec est nec potest esse peccatum proprie hoc sensu. Nascuntur igitur infantes, juxta S. Augustinum, non proprie, sed originaliter peccatores, quia nascuntur digni odio Dei & damnatione, non propter peccatum aliquod propria voluntate commissum, sed propter peccatum commissum à primo parente: nascuntur enim sine actuali & personali peccato, ac non sine habituali; quia nascuntur infecti peccato primi parentis, & propter illud odio Dei & damnatione digni; vel, si vis, magis ad modum loquendi S. Doctoris, infantes nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores, quia nascuntur, non cum actuali & personali culpa, sed cum habituali concupiscentia, ad grave vituperium & damnationem illis imputabili, non per se & ex natura sua, sed propter personalem Adami inobedientiam, cujus est effectus, & quae illis tandiu moraliter inhaeret, quandiu per baptismum illis non dimittitur.

Obj. 5. Theodoretum. Nam 1. in libris haeticarum fabularum non meminit eorum, qui negant peccatum originale. 2. Textus Scripturae, quibus originale peccatum probatur, exponit, ut solebant Pelagiani. Resp. Quacumque tandem de causa peccati originalis impugnatores silentio pratermiserit Theodoretus, & quantumvis interdum Scripturae textus, ut Pelagiani solebant, exposuerit, facile tamen ostenditur illum non aliter, quam alii Scriptores catholici senserint, de peccato originali sensisse. Nam 1. in Epitome divinorum decretorum c. 11. sic loquitur: *Divina misericordia, cum omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent implicati, per unius iustitiam dedit omnibus salutem.* Ecce aperte docet omnes homines propter peccatum Adami fuisset

se sub maledicto, & peccati laqueis irretitos. Loquitur autem de omnibus sine exceptione hominibus, ac proinde & de infantibus, qui non possunt irretiri laqueis peccati personalis, & ita censendus est loqui de peccato originali, cum ait omnes homines propter Adami peccatum fuisse sub maledicto, & peccati laqueis implicatos. Et rursus ibidem: *Cum ostendisset, unius iustitiam fuisse communis peccati salutare medicamentum, ostendit per ipsum quoque fuisse peractam mortis dissolutionem.* At obsecro, quodnam est peccatum illud commune, cujus iustitia Christi fuit salutare medicamentum, nisi peccatum, quocum nascuntur omnes homines, & quod à primo parente traxerunt?

2. Haec habet in expositione cap. 5. Epist. ad Rom. *Dicit itaque divinus Apostolus, quod cum Adam peccavisset, & mortalis propter peccatum factus esset, utrumque ad genus pervenit, id est, peccatum & mors. Ad omnes enim mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt: non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscepit.* Quid clarius & expressius dici potest pro peccato originali? Juxta Theodoretum, Adamo peccante, & propter peccatum debitum mortis incurrente, utrumque, nempe peccatum & mortis debitum, pervasit ad genus humanum. Necessitas moriendi pervasit ad omnes, quia omnes peccaverunt, hoc est, quia omnes nascuntur infecti peccato sibi proprio & intrinseco: unusquisque enim decretum mortis suscipit, non propter peccatum primi hominis, sed propter peccatum ex primi hominis peccato derivatum in omnes ejus posteros, quorum unicuique inexistit, & in unoquoque permanet, donec per baptismum deleatur; vel, si vis, non propter primi hominis peccatum, quia fuit proprium ejus peccatum, sed quia fuit commune generis humani peccatum, quod ita toti generi commune est, ut proprium fiat & suum unicuique, hoc ipso quod via naturali generatur.

Hanc autem esse Theodoretum mentem, patet ex eo quod manifestum sit eum non loqui de peccato actuali, tum quia non omnes qui mortis decretum suscipiunt, peccant, aut etiam peccare possunt peccato actuali & personali, ut patet in infantibus, ante adultam aetatem morientibus; tum quia Theodoretus expressè docet peccata actualia non praecedere, sed subsequi decretum mortis: docet enim hoc loco, Adamum peccando mortalem effectum esse, mortalem effectum generasse homines mortalem habentes naturam, proindeque indigentem multis, in quorum usu debita moderationis limites excedere pronum nobis est, & excedendo peccamus actu & personaliter: unde juxta Theodoretum, naturae nostrae mortalitas causa est vel occasio peccatorum nostrorum actualium & personalium. *Is, inquit, deceptus mandatum transgressus est... cum mortis decreto factus fuisset obnoxius, ita Cain, & Set, & alios genuit. Hi vero omnes, utpote ex eo geniti, habebant mortalem naturam. Eiusmodi autem natura multis indiget, & cibo, & potu, & indumentis, & habitatione, & diversis artibus. Eorum autem usus saepe ad mediocritatis exuperationem incitat. Mediocritatis autem exuperatio peccatum generat.*

ARTICULUS II.

Utrum posteri Adami verè & proprie peccaverint in ipso Adamo peccante contra preceptum de non comedendo fructu.

RESPONSIO I.

Posteri Adami verè & proprie peccaverunt in ipso Adamo peccante contra, &c.

Prob. 1. autoritate Apostoli, qui videtur hoc manifestè docere Rom. c. 5. cum ait: *In quo omnes peccaverunt.* Nam verba Scripturae accipienda sunt in sensu proprio & obvio, nisi gravis aliqua ratio, vel

alia

alia Scriptura clatior cogat ad aliter sumendum. At hic neque gravis aliqua ratio, neque alia Scriptura cogit ad sumendum in sensu improprio verbum hoc peccare. Idem etiam docet eadem claritate in ead. epist. c. 3. cum dicit: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, Quibus verbis disertè asserit omnes, etiam infantes, indigere Christo redemptore, quia omnes, etiam infantes, peccaverunt. At infantes non peccaverunt, nec peccare potuerunt voluntate propria; superest ergo, ut peccaverint voluntate alterius, nempe voluntate Adami.

Prob. 2. autoritate Patrum, ut Basilii de laudibus jejunii: *Quia non jejunavimus* (in Adamo scilicet,) *ideo exulamus à paradiso*. Augustini lib. 3. de peccat. mer. & remiss. c. 7. *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt*. Et Bernardi serm. 1. de Dominica 1. post octavam Epiph. *Aliena lavit aqua, quos culpa inquinaverat aliena. Nec tamen sic alienam dixerim, ut negem nostram; alioquin nec inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus: nostra, quia est in alio, nos tamen peccavimus, & nobis iusto Dei iudicio imputabatur, licet occulto.*

Prob. 3. ratione. Quia, ut explicabitur, voluntas & libertas Adami in ordine ad transgressionem, sicut & ad observationem præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, fuit, secundum moralem æstimationem, voluntas & libertas posterorum ejus. Ergo Adamus non potuit observare vel transgredi præceptum illud, quin posterius ejus observarent vel transgredirentur, secundum moralem æstimationem. Ergo Adamo præceptum illud transgrediente, posterius ejus illud idem præceptum, secundum moralem æstimationem, transgressi sunt, & consequenter peccatum Adami fuit peccatum posterorum ejus, secundum moralem æstimationem. Quo supposito, facile intelligitur quomodo posterius Adami nascantur infecti peccato illius, & propter peccatum illius habitualiter peccatores, hoc est privati pulcritudine debita, nempe gratia sanctificante, adeoque odibiles Deo, & digni æterna damnatione: Quod aliter vix ac ne vix quidem potest intelligi.

Dices. Quando peccavit Adamus, nondum erant ejus posterius, & ita peccatum ejus non potuit illis esse voluntarium. *R. 1.* ex eo quod posterius Adami nondum fuerint quando peccavit, sequi tantum, quod non potuerint tunc peccare voluntate propria, & quod peccatum Adami non potuerit illis voluntarium esse voluntate propria. At tunc potuerunt peccare, ut re ipsa peccaverunt voluntate Adami, & peccatum Adami potuit illis esse & re ipsa fuit illis voluntarium voluntate ipsius Adami, quia voluntas Adami potuit esse, & re ipsa fuit, secundum moralem æstimationem, voluntas illorum. Unde *R. 2.* dist. Quando Adamus peccavit, posterius ejus nondum erant in se, *C.* Nondum erant æquivalenter & secundum moralem æstimationem in ipso Adamo in ordine ad præceptum de non comedendo fructum, *N.* Tunc igitur unus quidem erat in se, sed unus ille omnes erat æquivalenter & secundum moralem æstimationem in ordine ad præceptum de non comedendo fructu. Unde necessarium erat, ut quidquid ille unus circa præceptum illud faceret, omnes æquivalenter & secundum moralem æstimationem facerent.

RESPONSIO II.

Ex posteris Adami illi omnes & soli peccaverunt in Adamo peccante contra præceptum de non comedendo fructu, qui ab eo per viam generationis naturalis descendunt erant.

Et 1. quidem quod ex posteris Adami illi soli peccaverint, &c. patet in Christo, qui sine blasphemia & impietate dici non potest peccasse in Adamo, & quem certissimum est nullum unquam habuisse peccatum, sive propria, sive aliena voluntate contra-ctum; *Talis enim decebat*, sicut ait Apostolus Hebr.

c. 7. ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.

2. Quod ex posteris Adami illi omnes peccaverint, &c. *prob.* Quia nequidem B. Virgo potest excipi. Nam 1. verba Scripturæ, *In quo omnes peccaverunt, & Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, quibus significatur in Adamo peccasse posteros ejus, generalia sunt, & nulla sufficiens est ratio illa restringendi, & ab illis B. Virginem excipiendi, 2. Cum Apostolus ait, *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, utraque pars propositionis sumi debet cum eadem universalitate, ut per se clarum est. Sed Beata Virgo cum reliquis omnibus eget gloria Dei. Ergo Beata Virgo cum reliquis omnibus peccavit. Ergo cum reliquis omnibus peccavit voluntate Adami, vel dicendum est, quod absit, eam voluntate propria peccasse. Similiter cum Apostolus ait 2. Cor. c. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; utraque pars distributionis, ut per se patet, æquè universalis est, Sed Christus mortuus est pro omnibus, nullo excepto, ut fide constat. Ergo omnes, nullo excepto, mortui sunt, & consequenter B. Virgo mortua est saltem in Adamo, quando scilicet, ipso peccante, peccavit; quia voluntas Adami eras moraliter voluntas B. Virginis, sicut & reliquorum omnium, qui ab eo per viam naturalem descendunt erant. Denique cum Apostolus dicit 1. Corinth. c. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*; aperte significat ad eodem Adami posteros pertinere peccatum ejus, ad quos pertinet vivificatio seu justificatio Christi. Sed B. Virgo fuit vivificata & justificata per Christum. Ergo mortua est per Adamum, quando scilicet Adamus non solum sibi, sed etiam posteris suis peccavit.

Confirm. 1. Nemo mortem patitur, nisi vel quia eam meritis est propter aliquod suum peccatum, ut pro aliorum peccatis satisfaciatur, ut docet S. Augustinus lib. 4. contra duas epist. Pelag. c. 4. *Puniri*, inquit, *trahendo mortem sine meritis mortis... de uno solo mediatore... Catholica fides novit*. Atqui B. Virgo mortua est, nec mortua est ad satisfaciendum pro peccatis hominum: alioquin homines per B. Virginem redempti sunt, quod hæreticum est. Ergo B. Virgo mortua est, quia mortem merita est per aliquod suum peccatum: nemo enim nisi per peccatum, mortis meritum habere potest, Ergo B. Virgo peccatum habuit, vel propria, vel alterius, nempe Adami, voluntate commissum. Non primum, Ergo secundum.

Confirm. 2. B. Virgo fuit redempta per Christum redemptione propriè dicta: nemo enim dixerit Christum non fuisse nisi improprie redemptorem B. Virginis. Atqui redemptio propriè dicta, est remissio peccati, & satisfactio pro persona redempta: redemit enim nos propriè Christus, per mortem suam merendo nobis peccatorum remissionem, & pro nobis satisfaciendo; neque genus humanum per Christum fuisset propriè redemptum, si propter ejus merita Deus Adamum & posteros ejus à lapsu præservasset, sicut præservavit Angelos bonos. Ergo B. Virgini propter merita Christi remissum fuit peccatum aliquod: non nisi peccatum ab ea in Adamo commissum. Ergo, &c.

Dices. Hæc doctrina multum derogat sanctitati & puritati B. Virginis. *R.* hanc doctrinam nihil sanctitatis & puritatis B. Virgini detrahere, quod ei prudenter secundum Scripturas & sensum Patrum tribui possit. Præterea, dicimus B. Virginem in Adamo peccasse, ut simul contendamus eam hoc peccato nunquam fuisse infectam, & propter illud gratia sanctificante privatam, Deo odiosam, & æternæ damnationi obnoxiam; cum, ut infra ostendetur, propter merita Christi, hujus peccati, quod non propria, sed Adami voluntate commiserat, remissionem à primo instanti animationis obtinuerit cum infusione gratiæ sanctificantis: ita ut etiam pro primo illo instanti reali, quo cepit esse, fuerit omnis exers maculæ, munda, sancta, Deo grata, ejus

ejus amica & filia adoptiva, atque regni celestis haeres, & cohaeres Christi filii sui.

Dices. Major gloria esset B. Virginis, majusque privilegium, præservatam fuisse, ne in Adamo peccaret. R. majorem hanc gloriam non esse tribuendam B. Virgini sine sufficienti fundamento, quale nullum est, Imò tribui non potest secundum Scripturas & sententiam Patrum. Præterea, major procul dubio fuisset gloria B. Virginis, non nasci ex Adamo, aliisque parentibus peccato maculatis, quorum etiam aliqui fuerunt reprobi, & tamen ex eis nasci B. Virginem voluit Deus. Itaque hujusmodi argumenta nihil probant. Addo, graves aliquos Doctores, ut Bellarminum, Valquem, &c. oppositam sententiam, quæ docet B. Virginem in Adamo non peccasse, notare ut periculosam, & fidei minus consentaneam.

ARTICULUS III.

Quomodo fieri potuerit & factum sit, ut posterius Adami in ipso contra præceptum de non comedendo fructu peccante peccaverint.

RESPONSIO I.

Deus potuit in voluntate Adami includere voluntates posterorum ejus in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu.

Prob. Nam v. g. Republicæ & Principes possunt includere voluntates subditorum suorum in voluntate unius in ordine ad aliquos actus & effectus morales, qui non excedunt eorum jurisdictionem: ut patet in pupillis, quorum voluntas in voluntate tutorum jure civili posita est in ordine ad certos effectus. Ergo à fortiori Deus, qui habet supremum in creaturas suas dominium, potuit in voluntate Adami includere voluntates posterorum ejus in ordine ad quoscumque effectus, & consequenter in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu: ita ut si observaret præceptum, censeretur observare; si verò transgrediretur, transgredi censeretur.

RESPONSIO II.

Deus re ipsa in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, qui ab eo per viam generationis naturalis descensuri erant.

Prob. Nam 1. Deus potuit hoc facere, ut probatum est. 2. Ad negandum quòd fecerit, afferri non potest ratio, quæ sit alicujus momenti. 3. Ad affirmandum quòd fecerit, gravem habemus rationem, Nam hoc pacto facillè intelligitur & explicatur, quomodo in Adamo contra præceptum de non comedendo fructu peccante posterius ejus peccaverint. Supposito enim quòd Deus re ipsa, &c. 1. voluntas & libertas Adami, relatè ad præceptum de non comedendo fructu, fuit secundum æstimationem moralem voluntas & libertas hominum, qui ab eo naturaliter descensuri erant. 2. Et ita Adamus non potuit transgredi præceptum de non comedendo fructu, quin simul præceptum illud, secundum moralem æstimationem, transgredirentur homines ab eo naturaliter descensuri. 3. Et ita peccatum, quo Adamus præceptum de non comedendo fructu transgressus est, fuit secundum moralem æstimationem peccatum hominum, qui ab eo naturaliter erant descensuri. 4. Et ita omnes illi & soli in Adamo seu per Adamum peccaverunt, qui erant ab eo naturaliter descensuri. 5. Quærenti quare infans concipiatur & nascatur privatus gratia, odibilis Deo, & reus damnationis, respondeo, quia concipitur & nascitur infectus peccato primi parentis. Quærenti quare concipiatur & nascatur infectus peccato primi parentis, respondeo, quia ubi primum incipit esse, perinde se habet in ordine ad contrahendam maculam hujus peccati, ac si illud voluntate propria commisisset. Quærenti quare sic se habeat, respondeo, quia voluntas & libertas primi

parentis, relatè ad tale præceptum, fuit æquivalenter & secundum moralem æstimationem voluntas & libertas infantis; unde primo parente tale præceptum transgrediente, infans æquivalenter & secundum moralem æstimationem illud transgressus est, atque ita primi parentis transgressio fuit æquivalenter & secundum moralem æstimationem transgressio infantis.

Obj. Non potest dici quomodo Deus in voluntate Adami voluntates posterorum ejus inclusit. R. hoc ipso inclusisse, quòd absolute & efficaciter voluit, ut Adamus posterius relatè ad tale præceptum apud se representaret, ut sive observaret, sive transgrediretur, censeretur nomine omnium & pro omnibus observare, vel transgredi; vel, quod idem est, ut sive observaret sive transgrediretur, in eo & per eum observare vel transgredi censeretur ejus posterius.

Dices. Vel hoc Deus voluit independentè ab Adamo, vel non. Item Deum hoc velle, vel innouit Adamo, antequam peccaret, vel non innouit. R. nobis probabilius videri, quòd Deus hoc voluerit independentè ab Adamo, quia hic modus volendi possibilis est, & magis decebat supremam Dei majestatem, ejusque supremum in creaturas dominium; nec occurrit ratio alicujus momenti, quæ suadeat Deum ad hoc volendum expectasse consensum Adami. Videri autem nobis hanc Dei voluntatem Adamo, antequam peccaret, innouisse, ut inde cautior evaderet, & intimatam fuisse verbis illis Genes. c. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quibus, juxta communem Interpretum sententiam, Deus Adamo & posterius ejus, qui ab eo feminaliter descensuri erant, mortem tum corporalem tum spiritualem comminatus est.

Dices. Si Deus sic inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, peccatum Adami Deo potius quàm posterius ejus tribuendum est. R. neg. Deus enim in voluntate Adami non inclusit voluntates posterorum ejus ea intentione, ut in eo peccante peccarent; sed ex sincero affectu, ut in Adamo præceptum observante censerent ipsi observare, & sic observando mererentur justitiam originalem; vel, quod eodem redit, ut Adamus non solum pro se, sed etiam pro posterius præceptum observans illis justitiam originalem mereretur.

Dices. Si Deus sic inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, iniit pactum aliquod cum Adamo, & ejus posteritate in ipso. Sed tale pactum est merum commentum. R. Deum cum Adamo, & ejus posteritate in ipso, iniisse pactum, non formale, positum in consensione duorum vel plurium, sed virtuale, positum in decreto efficaci, quo voluit absolute & efficaciter, non expectato Adami consensu, ut Adamus esset caput morale posterorum suorum, eoque representaret in observatione vel transgressionem præcepti de non comedendo fructu; ea lege, ut ipso præceptum observante, infunderetur illis originalis justitia propter observationem præcepti, quæ esset illorum æquivalenter, & secundum æstimationem moralem; illo verò transgrediente præceptum, nascerentur sine originali justitia, utpotè ea indigni propter transgressionem parentis, quæ illorum æquivalenter & moraliter esset transgressio, qua proinde à primo instanti conceptionis macularentur, nisi ab hac macula per speciale beneficium præservarentur. Hoc autem pactum malè dicitur esse merum commentum: cum illud inter alios agnovit Sanctus Augustinus lib. 16. de Civitat. cap. 27. ubi hæc verba Genes. cap. 17. *Pactum meum irritum fecit*; sic habet: *Omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt.* Quibus verbis S. Doctor totam doctrinam à nobis hoc Art. traditam compendiosè exprimit.

Dices. Tale pactum esset injustum. R. neg. Cum enim Deus supremum habeat in dominium in creaturas suas, potuit absque ullius injuria omnium nostrum voluntates ponere in voluntate unius in ordine ad actum, à quo pendere volebat justitia originalis transfusionem, præsertim cum potuerit in volun-